



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 148. Quomodo pœna imponi possit mutuatario.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**



tamen omnes, inprimis fieri non debere ad palliandam usuram, aut ex intentione lucri ex mutuo ; deinde debere fieri secundum parem vel proportionatam utrimque conditionem, nam si Titius daret 100: Cajo, eo pacto, ut post annum, si Titius vivat, Cajo restituat 110: , si verò Titius obierit , ut tum restituat 90: hic contractus non justificatur eventu fortuito, nam dispar est conditio, quia longè probabilius est eum supervicturum. Putat tamen *Less.* in *Auct. V. Mutuum.* cas. 2. talem contractum justificari posse duobus aliis titulis, inprimis si intendant tres contractus, de quibus dictum est n. 876. , addito contractu sortium ; deinde si intendant emere & vendere censum personalem utrimque redimibilem, & simul adjungant contractum sortium : Sed hæc omnia usuræ palliatæ vel saltem mentali valde obnoxia sunt, cum semper interveniat virtuale mutuum.

897 Q. 148. *Quomodo pœna imponi possit mutuatario.* R. Licitè fit pactum de pœna à mutuatario solvenda, si præfixo tempore non reddiderit mutuum, dummodo adsint hæc conditiones, 1. Pœna non debet apponi pro pallianda usura, nec tanquam pretium dilationis, uti dictum est n. 872., sed quia re ipsa periculum est, ne nimum differatur vel omittatur restitutio, & ut mutuataris per pœnam deterreatur à violanda fide & à dilapidanda sorte. 2. Dilatio vel omissio restitutionis debet esse mutuataris culpabilis, qualis est, si dilapidando sortem aut bona sua prævidit se non fore potentem restituere. 3. Pœna debet esse moderata & proportionata culpæ, alioquin mutuataris iniquè cogitur in eam consentire.

Quòd



Quòd si partem restituerit, pœna debet responderi soli parti non restitutæ, *Mol. d. 317. n. 9. & alii. 4.* Mora debet esse notabilis, secundùm qualitatem negotii vel morem Patriæ: Debet autem solvi ante sententiam Judicis, uti tenent multi contra *Tambur. §. 3. n. 10. & alios multos, quos c. 7. §. 7. n. 28. citat.* Ratio est, quia debetur ex vi pacti inter partes initi; non est tamen opus solvere ante expressam vel tacitam petitionem mutantis, nisi esset imposita ratione lucri cessantis vel damni emergentis; & possumus hìc loqui eo modo, quo n. 606. locuti sumus de pœna conventionali, quæ contractibus apponitur: ita quoad omnia *Pirh. n. 52. Spor. n. 57.* aliique communiter. Vide *Gasp. Roder. de ann. redit. l. 3. q. 5. à n. 1.*, nam multi dicunt pœnam exigì non posse, nisi quatenus interest. Vide etiam, quæ postea habet q. 8.

*Q. 149. Quando nam committatur usura circa varios contractus. R.* Colligetur ex seqq.

§. 1. Si Cajus deponat pecuniam apud Titium, datâ ei facultate utendi & de ea ad libitum disponendi, cum pacto, ut Titius pro usu de 100: solvat annuè 10:, est usura palliata, videtur enim reipsa esse mutuum, uti habetur *L. Certi §. ult. & LL. seqq. ff. De rebus creditis*, quia cùm detur jus de ea disponendi, reipsa transfertur dominium, *Laym. n. 5. Spor. n. 96.* aliique: hinc *Nav.* apud *Laym.* ait, omnis depositio rei consistentis in numero, pondere vel mensura, concessâ facultate utendi, & adjecto pacto aliquid propterea solvendi deponenti, injusta est. Idem est, si constitutam te procuratorum meorum reddituum, datâ facultate utendi meis pecuniis, sed cum pacto, ut ideo mihi aliquid solvas.

§. 2.